

Die Mercurii XIII<sup>a</sup> dicti mensis Februarii in congregacione dominorum deputatorum, ubi erant congregati domini episcopi Petragoricensis, Gebennensis, Ratisponensis, Rozensis ordinis carmelitarum<sup>1</sup>, ambassiatores domini ducis Sabaudie, ambassiatores universitatis Parisiensis, domini abbates Cisterciensis et Virziliacensis, dominus Henricus auditor, magister Henricus<sup>2</sup> Nithard, procuratores, archiepiscopi et episcopi Maguntinensis et Warmaciensis et quam plures alii, qui fuerunt omnes oppinionis<sup>3</sup>, quod sessio publica celebraretur, in qua publicarentur decreta avisata, et quod nullo modo dilatarentur demptis dominis Gebennensi et Cisterciensi, quibus videbatur, quod prout dominus legatus Cardinalis per suos nuncios requirebat, debebat sessio differri et ipse dominus Cardinalis audiri, finaliter fuit conclusum, quod nullo modo sessio prorogetur, ymo quod celebretur et in illa articuli publicentur, prout in congregacione generali ultima conclusum<sup>4</sup> extitit, nec amplius debet poni huiusmodi materia in deliberacione. Nichilominus ad contentandum dominum Cardinalem legatum fuerunt ordinati deputati certi, qui die crastina de mane\* hora IX<sup>a</sup> adire deberent eundem dominum Cardinalem persuadendo eidem dulcibus et honestis verbis, ut velit adherere conclusioni capte in hac parte, nec propter hoc velit male contentari nec recedere ab inceptis; nam concilium non intendit aliquid novi facere, sed solum insequi decreta concilii Constantiensis pro stabilimento et felici progressu huius concilii, de qua conclusione dominus et magister Ademar de Roussillone, canonicus Lugdunensis, in decretis licenciatus, alter promotorum huius concilii peccit a nobis notariis fieri instrumentum et instrumenta presentibus in dicta congregacione nominatis.

fol. 2'

Die Jovis XIII<sup>a</sup> sequenti domini deputati accesserunt ad reverendissimum patrem dominum Cardinalem in conventu canonicorum regularium ordinis sancti Augustini Basiliensis, postquam dominus dux Bavarie protector huius concilii dictum dominum Cardinalem visitaverat, qui persuaserunt sibi, ut contentaretur de sessione die crastina celebranda.

Item post prandium in stupha magna predicatorum fuerunt congregati domini deputati etc. ad videndum, si aliquid foret

Carmelitar

<sup>1</sup> Car (*sic*) B<sub>1</sub>.    <sup>2</sup> Henricus B<sub>1</sub>.    <sup>3</sup> opiniois B<sub>1</sub>.<sup>4</sup> conclusū *corr.* ex conclusione A.